Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 27. Martii. 1337 ~~1637~~

M. ÆGIDIO LE BEL Serenissimæ Aurelianensium Ducissæ Medico primario, Præside.

An ab animi pathematis sanitas deterior?

TOTUS homo ubique passio est; omni ejus parti, licet non omnibus ex æquo, obvia; cunctis impertita animalibus exquisito sensu & motu, imò impotentior acutiori ratione præditis, ad mali fugam, bonique studium. Sua idcirco cuique est animanti mirabilis partium compages, brutis quibusdam non minus stupenda quàm homini; cuique à parentibus cum semine traduces animi; cuique par corporis & animi per spiritus vinculum; sensuum & rationis idem nexus; sors eadem necis & vitæ: nullumque non intelligit sapitque animal; interdum minus homine fallitur & insanit bellua, cui si desit sermo, quidni organi culpâ: illi demas immortalitatem animæ (cujus cœlestis origo) sacris sancitam paginis, à quibus recedere nefas & piaculum, nihil est aut parum discriminis hominem inter & belluam: in utroque motus à musculis, sensus à nervis, quos edunt corpuscula spirituum nomine insignita; qui dum aliter atque aliter ab objectis excitantur, excubiis aut internunciis similes, alias atque alias rerum renunciant sensationes; aut placidas, undè gaudium; aut graves, undè dolor. Quorsum? hic ficulneæ rerum species à veteribus malè excogitatæ: reportatum cerebro talem aut talem motum accuratè perpendit animal, volutatque animo; si jucundum, lœtatur & colit; si molestum, contristatur & fugit; si volupe, admovet corpus ut insectetur; si triste, removet ut aspernetur & declinet: illincque pro diversis objectorum motibus, quibus foris intrò, intùs foràs concitantur spiritus, varii suscitantur affectus. Cave tamen credas, machinæ instar nihil ex se molientis, impelli animal; non adigunt objecta, sed pelliciunt; movent, nec necessariò promovent; putato potiùs judicem æqui bonique consulturum; sic quod uni ingratum, alteri gratissimum; quod uni odio est, alteri amori. Si efflagitas quid & undè passio; in promptu responsio; motus est & quidem valens appetitus sensientis seu rationalis ex apprehensione boni & mali cum insigni cùm corporis tùm animi mutatione non naturali. Hinc nemini data perfecta sanitas & sapientia, quia nulli ἀπάθεια, ne quidem Stoica, quæ cachinnis digna æquè impossibilis ac inutilis. Cupiditatem in jecore, θυμώσιν in corde, appetitionem brutis communem in cerebro, cupediam in ventriculo, & in testibus libidinem, tanquam in propriis constitutas peculiariter sedibus, tibi suadeas vera figmenta; passim sparguntur & ipsæ: irascitur non nunquam caput, & temulenter aut luxuriosè concupiscit, pacato corde, languido hepate, & funeratâ venere; adultera mens est illibato corpore; & crudeliora voluit facinora puris integrisque manibus.

UT corpori, sic animo nec parcunt morbi nec Parcæ; illo pœnè illœso, hic irâ furit, timore stupet, verecundiâ cespitat, amore insanit, mœstitiâ languet, ambitione delirat, odio vesanit, zelotipiâ bacchatur, cunctarumque affectionum communione, & cognatione frangitur, & esse desinit: quarum exasperatio, ægritudinis nomine apprimè donata, natalium & ἰδιοσυγκρασίας est soboles; undè gaudere debent, si qui sunt benè nati ἀπαθεῖς, raræ aves in terris, diique potiùs quàm homines: trahit sua quemque voluptas etiam nolentem; & quempiam fugat malum etiam volentem. Quò exquisitiori sensu ditescunt animalia, eò perturbationibus magis exardescunt, quas ipsa effrœnatiùs exasperat vegetior ratio: hinc nullus est in homine ingenioso modus; rustici urbanis, urbani aulicis temperatiores; delirantes & stupidi nihil persentiscunt. Quid ergo prosunt homini mens, animus, ingenium, quæ idem sonant, brutisque communia; si innumeras alias quàm à natura datas calamitates suâ culpâ sibi asciscat: nudus collachrymansque conscendit terram, omnibus animi affectionibus nullâ curabilibus arte irretitus: in pueritia meticulosus, in pubertate verecundus, in adolescentia libidinosus, in juventute ambitiosus, in constanti ætate negotiosus, in senectute avarus. Ab incunabulis, dum sugit cum lacte pravos fatuæ nutricis mores, seu affectiones, vagitibus divexatur: à pubere artibus, negotiis, studiis, vel armis, aut studiosè, aut odiosè captus, discruciatur; & alios distorquere discit: tandem velit nolit, ut vivat, ut ditescat, vigilet, sudetque necessum est. Huc illum adegit natura, redegitque fortuna, ut citra sudorem & laborem fame vel paupertate pereat. Jam curæ palàm emergunt infausti hujus ominis avertendi gratiâ, nullaque non prodit malorum mensura. Hunc furor Martis concitat inanis gloriolæ cupidum: illum scindit auri sacra sitibundaque fames: nonnullum angit inexplebilis dominandi cupido: in foro lites rodunt verba vendentem rabulam: exercent rura colonos ultrà sudorem: in ædibus anxietates inauspicati connubii premunt: purpuratos justitia terris exul torquet sibi conscios: dilaniantur dum præcipites ruunt aulici, vanâ & tœdiosâ gratiarum expectatione decepti: mercatorum aviditatem deludit aviditas: lacerat dum fallit aleatorem, imò & veteratorem spes incerta lucri, alienique cupida boni: regesque gemunt sub pondere regni: fortunamque sui cuique mores & passiones parant. Næ tu ergo quæsieris, quam mihi quam tibi sortem natura dederit; expende animi perturbationes, in quas mens inclinata recumbit, quarumque impetus cuncta ministrat mala: affectibus agimur; nec solicitæ possunt curæ mutare ratos animi motus; quidquid patitur mortale genus; quidquid facimus, venit ex illis; primusque dies dedit extremum.

UT ætatibus, sic sexui, regionibus, locis, temporibus, tempestatibus, conditionibusque suæ sunt propriæ & peculiariter connexæ animi commotiones, cogitationum, opinionumque hominis authores, (primus in orbe deos fecit timor;) consiliorum ejus regulæ, (video meliora proboque deteriora sequor, fatur Medea:) actionumque leges, (est pro ratione voluntas, & sunt pro voluntate animi affectus:) qui ita in humanam veniunt carnificinam, & sanitatis detrimentum, ut tunc sui tantum juris videatur animus, cum sui non est compos. Fœminas viris ad eos propensiùs proclives, sustulit gaudium; homines interimit mœror; utrosque è medio tollit metus: fœminis, quibus pulchritudo, unica cura; amor, unica solicitudo; libido, unicum opus; pro naturali dote, vitrea fragilitas, & in levitate constantia; fastus inest, sequiturque superbia formam; nec mora nec requies contemptæ injuriâ formæ. Viros sœvus honos jugulum ostentare adigit: virorum renovat per damna famem exlex & ingeniosa gula lagenas inter & compotationes: urit utriusque miserum ambitio pectus, quâ jura pudorque, nec conjugii sacrata fides arcent fœminas, & quæ viros cogit vestibulis foribusque potentum excubare, & sanitatis dispendio commercia poscere honorum. Nec mirum si vita brevis, quibus est plena curis, hoc est animi perturbationibus; quibus, inquam, cassa fides, ut Pœnis, hodiè non firmior Anglis; inexplebilis avaritia, ut Arabibus, Hollandis nunc familiaris; innata temulentia, ut Thracibus, ad septemtrionales incolas hoc tempore delapsa; vanitas immoderata, ut Græcis, Hispanis impræsentiarùm intima; indefessa luxuria & mollities, ut Leontinis, quibus tota post modùm obruta fuit Italia; solicitaque ambitio, & præceps lubricusque bellandi cupido, ut olim Romanis, ad Gallos hoc sœculo devoluta. Quid plura? omnis regio, omnis civitas, omnisque populus variis scatet cupiditatibus, affectionibusque, quarum pro temporum vicissitudine novo immergitur æstu; sic postridiè Roma jugulat, quem pridiè suspiciebat & deperibat Cæsarem: sic vere animantium natura libidinis œstro percita, friget hyeme: sic dives fastu, jactatione miles, perjurio leno, adulatione aulicus, loquacitate sophista, fucatâ pietate hypocrita, larvato pudore impudens, personatâ pudicitiâ mœcha, ementitâ emptâque nobilitate plebeius, & quisque tandem suo torquetur genio & accismo, cruciantque leves animum & corpora causæ, & quocumque aspicias nihil est nisi mentis imago perturbatæ.

NATURA, nulli animanti noverca; brutis pro magistrâ, arte, lege, & medicinâ, errat rarenter; sæpiculè aberrat in homine: quòd hanc ducem non insequatur, sed insidiosæ pareat rationi. Hinc undecumque huic patet amplissima calamitatum seges, quas me herculè à se amoveret, si hanc benè monentem auscultaret; sic innocens brutis edacitas, hominum plus jugulat gula quàm gladius: sic Hirco libido, Delphino lascivia, Passeri salacitas, Sui bulimia non officiunt, hominemque interimunt: qui virtutis & vitii, eruditionis & inscitiæ, paupertatis & divitiarum, iniquitatis & justitiæ, necis denique & vitæ indesinenter jactatur certaminibus: quem, inquam, devorat tœdium, spes vana rodit, absumit mœstitia, conficit livor, solicitant confunduntque opiniones, terrent jura legesque, fortuna torquet, cruciat fatipavor, atque exest anxius angor, ignota ferè nec infensa belluis pathemata: O ter quaterque beatas felicesque bestias, quas affectionum harumce cura aut parum aut nullatenus angit: & quæ dum hominis insunt animo gehennæ, ejus corpori insident tormenta; susque deque, horsumque vorsum spiritus exagitant, aut eorum remorantur impetum; sanguinis motum plus æquò festinant, ejusque dant vitio substantiam; calorem nativum præter naturalem certumque modum accendunt; corporis œconomiam & temperiem invertunt, omnemque morborum lernam invehunt. Hos vincire & vincere Dæmones educatos ne tentes; labor est improbus, & humanæ supra sortis opus: deorum est, motos animi componere fluctus; absit ut dicam heroum, videlicet Alexandri, unus cui non sufficit orbis, quique ardet, æstuat, furitque alterius mundi victoriâ, & de quo etiam indomito actum est ad Bacchi Venerisque conspectum. Nec tuis confidas virtutibus, quæ affectibus haud sunt immunes: imò sua cuique affectioni debetur virtus, ambitioni magnanimitas, vanitati sapientia, utrisque sæpè sæpius pietas, contumaxque religionis zelus, iræ fortitudo, metui castitas, philautiæ temperantia, verecundiæ modestia; ne quid dicam præterea: ipsamet virtus eximiæ temperiei proles, affectio est, quæ noctes atque dies animum intimasque penitus medullas gloriæ vorat stimulis; undè ut gaudii luctus, sic sapientiæ stultitia, pariterque virtutis vitium occupat extrema. Hoc in vasto perturbationum gurgite, tantis pertœso ærumnis superest homini naufrago lœtitia, sola salutaris affectio, dum ponat modum lœtis; capitale enim fuit quibusdam nimium titillari. Cedat ergo luctus atrox gaudio; dum fata sinunt, vivat hilaris & exultet. Vis benè valere, sanari, beari, lœteris: vis diu & dulcè vitam degere, curas tolle graves; & irasci crede fatale, unà & contristari: voluptati & lœtitiæ indulgeas; dummodo ne quid nimis; carpe diem; Heracliti irride planctus; sit denique tibi pro omni affectione, sapientiâ, & medicinâ gaudium, & si lubeat Democriticum.

CADUCA valetudo, suspectaque hominis sanitas, cujus impatiens sui æger est animus: sœviunt in corpus alternæ passionum vices; & excepto gaudio, vel levissimus earum motus officit, afficit impetus, inficit excessus, altasque agunt morborum radices. Quid? sœva Cupido tragœdiarum non movet in corpore ac in animo, dum morborum ut malorum scatet iliade; est flamma medullas, & secum serpit in viscera vulnus: furente amore huc & illuc feruntur & prosiliunt spiritus; pulsus inæqualiter spe metuque inæqualis, amatorius nuncupatus; per venas meat visceribus ignis mersus; qui sanguinem tenuat, ultrò calfacit, comburitque; quo æstu tacito torrentur humores: hinc fœdat amantes pallidus color; nec somni faciles; adducitque cutem macies; languet ciborum appetentia; depravatur concoctio; hysterica sœviunt symptomata; & infamis libidinis scenam adornat periclitata medullitùs Syphilis, nullis radicitùs medicabilis herbis. Irâ venæ tument, genæ rubent, aut pallent, quod pejus, scintillant oculi; quæ tegitur nocentior, furit feritque effrœnis, mentem subigit, amovetque; exurit calorem nativum, aut dissipat; bilis, quæ exæstuat irâ, maximus proventus; pulsus citatior, febres diariæ & tertianæ frequentes, putridæ quoque non rarò invalescunt. Dum mens formidine pressa, obstupet, rigent comæ, & vox faucibus hœret; frigidus sudor occupat artus; ossa quatit horror; vires effœtæ exolvuntur; pedibus tamen timor addidit alas; derepentè canescunt expavidi; terrore concidunt meticulosi; vitamque sæpè cum morte commutant; quid pejus Epilepsiâ, ullâ fere ineluctabilis arte, quam pueris nec rarò ætate provectioribus invehunt terriculamenta. Tristitia, humanæ vitæ venenum, pedetentim corpus conficit; calore nativo ad proprios lares refugo, cor comprimitur; hinc fugit ore color; lentescit arteriæ motus; spirituum, cruoris & humorum commeatus intercipitur; hinc frequentes febres, præsertim quartanæ, Icterus, Cacochymia, uteri Phlegmone, Strangulatus, Abscessus, Schirrus, Ulcus, Carcinoma, Cancer, Melancolia, Lycantropia, Epilepsia. Odio torquetur pectus, divellitur stomachus, edulia putrent, corrupta evomuntur, pulsus minor, celer, & inæqualis, ructus nidorulentus, nausea, vomitus. Fallit unumquemque credula spes, desiderii assecla; cujus desultorio motu saliunt spiritus, huc & illuc ruunt velociùs; citatior sanguinis motus, effervescit ejus substantia, fitque nequam, & alendis partibus impar; undè Lipothymiæ, Syncopes, Rhumatismi. Qui? ergo fieri potest ut rectè valeat & sanitate fruetur amore incensus, metu perculsus, spe inquietus, mœstitiâ fessus, odio turbatus, percitus irâ, livore tortus; sanitas abest turgida morbis; nebula mens est vinctaque frenis, hæc ubi regnant.

Ergo ab animi pathematis sanitas deterior.



Asserebat Parisiis GUYDO ERASMUS EMMEREZ, Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1681.